



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Dissertationes Ad Jus Publicum Romano-Ecclesiasticum**

**Bessel, Johann Franz**

**Coloniæ, 1715**

**VD18 14847493**

Corollaria.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61383](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61383)



# COROLLARIA.

I. **J**urisprudencia est Scien-  
tia practica humano-  
rum actuum, juxta  
prescriptum legis, dire-  
ctiva.

II. Justitia Vindicativa nequit condem-  
nare ad mortem, vel gravem corporis mu-  
tilationem, probatum fontem, quem cer-  
to scit innocentem.

III. Jus naturæ est ipsa lex aeterna Dei,  
nobis per dictamen rationis promulgata.

IV. Penitus rejicienda est divisio Juris  
gentium in primævum & secundævum.

V. Jus gentium nomen veræ legis non  
meretur.

VI. Lex in præsumptione fundata eti-  
am obligat in conscientia.

VII. Ad inducendam consuetudinem  
non sufficit tacitus Principis consensus, sed  
adest expressus.

VIII. Minor septennio valide contrahit  
sponsalia, si usus rationis ætatem suppleat.

IX. Matrimonium consummatum ex  
nulla planè nec adulterii, nec alia ratione,  
quoad vinculum dissolvi potest.

X. Legitimatio per subsequens Matri-  
monium neutiquam procedit, si tempore  
conceptionis inter partes non potuit confi-  
stere matrimonium, bene verò tempore na-  
tivitatis.

XI. Ad legitimationem per subsequens  
matrimonium requiritur consensus legiti-  
mandorum.

XII. Legitimatio per subsequens ma-  
trimonium non tribuit Jus primogenituræ.

XIII. Adoptio non tribuit nobilitatem.

XIV. Elector Imperii filio suo primo-  
genito impuberi testamento tutorem dare  
potest, alium quàm proximum agnatum.

XV. Servus non solum Domino, sed e-  
tiam sibi stipulando acquirere potest.

XVI. Tutor ob culpam latam remotus  
fit infamis.

XVII. Qui occupat feram in fundo alie-  
no, eam facit suam, nec furti tenetur; estque  
fera laqueum ponentis, vel lethaliter Vulne-  
rantis, non autem laqueo eximentis aut  
Vulneratam occupantis.

XVIII. Clericis nullo jure prohibita est  
moderata Venatio; Ei tamen cui competit  
Venatio alta, die hohe Wildtbahn/  
non necessario infertur deberi Venationem  
bassam, die kleine/ oder niedere Jagtbar-  
keit; pro eo quoque qui habet Jus forestæ  
das Forst-Recht/ est præsumptio quòd  
etiam habet Jus Venandi.

XIX. Vasallus nequit in fundo feudali  
constituere servitutem in Præjudicium di-  
recti Domini; neque Dominus proprium  
fundum sibi reddere servientem.

XX. Ad Præscribendam servitutem ti-  
tulus non requiritur, & servitus sive conti-  
nua sive discontinua præscribitur 10. vel  
20. annis.

XXI. Testamentum destitutum solenni-  
tatibus, non tantum est nullum pro foro



externo, sed etiam interno, etiam si illud sit ad pias causas.

XXII. Jus accrescendi transit in Emptorem Hæreditatis.

XXIII. Minor sine autoritate Curatoris contrahens nequidem naturaliter obligatur.

XXIV. Si venditor sciens Valorem rei Venditæ infimo pretio eam distraxit, non habet locum remedium l. a. C. de rescind. Vend.

XXV. Periculum & fructus rei Vendi-

tæ protinus pertinent ad Emptorem, etsi res nondum sit tradita.

XXVI. Mandans Vulnerari, disertè tamen prohibens occisionem, adhuc reus est mortis, secuto homicidio.

XXVII. Rectè oppignorari possunt servitutes tam rusticæ quàm Urbanæ.

XXVIII. Actiones rei persecutoriæ lite non Contestata, non aliter dantur adversus hæredes, quam quatenus aliquid ad eos pervenerit.

